



**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

16. C. Bernardus tribus Sacellis primarium lapidem ponit. Epigraphe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

ensi scripto suum *Gelria* opponit æquè prolixum, & dum *Borculoanæ* Ditionis tractum mordicè sibi vendicat, suæque regioni; rem totam in longioris rejicit moræ tædium, non jam *Astrææ*, sed *Martis* olim judicio terminandam.

Quo tempore ad recuperandam aliquando *Borculoam* *Batavorum* animos sollicitabat *Christophorus Bernardus*, multorum millium solutionem à *Frisia Orientali* exposcebat *Hartmannus Lichtensteinij Princeps*. Sed priusquam hujus controversiæ statum ordiamur, pace *Lectoris* præmittere visum est designatam, hac ipsâ æstate, trium fabricam *Sacellorum*, quæ ingenti postea sumptu *Paulinæ Basilicæ* adstructa sunt. Cincto prouper obsidione *Monasterio*, *Christophorus Bernardus* ad cætera voto se obstrinxerat, si suæ *Civitatem* traderet potestati divina bonitas, *DEO* se in honorem trium sanctorum *Josephi, Ludgeri, Maximi*, totidem sacella ædificaturum. Hoc igitur ut exsolveret, sicut anno superiore post anniversariam gratiarum actionem *Paulino* in nova arce, ita nunc *Divorum* honori, quorum jam meminimus, solenni rursùm pompâ & ritu benedixit primarium lapidem, dictarumque structuræ ædicularum supposuit cum hac epigraphæ.

1663.

16.

C. Bern.
tribus
Sacellis.Primum
lapidem
locat.

Pp 5

DEO

DEO OPT. MAX.

ad honorem

*Magnæ Matris, Virginis MARIE
Ejusq; castissimi sponsi Patriarchæ IOSEPHI
Nec-non Sancti LUDGERI Proto-Episcopi,
ac Divi MAXIMI Martyris*

PRIMARIUM LAPIDEM

solenni ritu, propriisque manibus posuit

Celsissimus & Reverendissimus Princeps

Dominus

D. CHRISTOPHORUS
BERNARDVS

Natus ex illustri Baronum de Galen familia,

*Episcopus Monasteriensis, Administratus
Corbeiensis,*

Burggravius Strombergensis, S.R.I. Princeps

Dominus in Borculo.

*Ex voto, gratoq; in Divos animo,
piè intendens,*

Vt magnifica trium sacellorum structura,

In Tutelarium Cœlitum Patrocinium,

Afflictorum asylum,

Subditorum solatium,

*ac posthumum corporis sui hospitium
exsurgat.*

*Astantibus & gratantibus iis
qui è Clero, Patriaque Proceribus,
ad hunc actum concelebrandum
obedienter confluxere.*

Anno incarnationis Dominice MDCLXIII.

Die Julij XXIV.

Sed quod sub hoc ipsum quoque tempus 1663.
Hungariæ fines bello infestaret Turca, & Leo- 17.
poldus Christianorum Imperator ac Hungaro- Contra
rum Rex, indictis Ratisbonam Comitibus, Turcans
privatisque Legationibus ab Imperio postu-
laret suppetias, Christophorus Bernardus Zelo Suppe-
statim armatus, pedites mille & equitum du- tias mit-
centos, veteranum militem, Hungariæ actu- tit.
tum destinavit auxilio, nec omisso pro re
Christianâ, superiorum opem implorare, vul-
gato per Provinciam edicto, quod hic etiam
loci intexere haud abs re posteritatis visum
est, publicas subditis preces imperavit.

Venerabili Clero & universis Diœcesis no- Et preces
stra Christi fidelibus salutem. Infensissi- inoperat.
mum Christiani nominis hostem, Othomanni-
cum Tyrannum, inexpleta dominandi libidine,
non uno jam saculo, Orbis dominio inhiantem,
tot nobilissimis Provinciis dira ingluvie absum-
ptis, & in jugum ac servitutem dirissimam per-
tractis, toti Hungaria Regno penitus vorando
incubare, et extremum Germania, ac universa
Reip. Christiana exitium nefarie ac sacrilegè
meditari, nunc vel maxime experimur, dum
expu-